



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1514. usque ad annum 1520

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1769**

**VD18 90118464**

§. 70. Maximilianus Sfortia dedita arce in Gallias abstractus

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66414](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66414)

## §. LXIX.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1515.*Gallorum exercitus Mediolanum  
ingressus.*

Cardinalis Sedunensis in Germaniam profugus, Maximiliano Sfortiæ pollicitus est, se eidem brevi longe magis numeroso Helvetiorum exercitu præstaturum; interea vero Mediolanenses urbis suæ portis ultro apertis claves Regi obtulerunt. Hic altero ab urbe Lapide castra metatus, Mediolanensibus non nisi centies mille aureos trina solutione pendendos mulctæ nomine indixit, civibusque cuncta eorum jura confirmavit, urbem tamen ingredi renuit, quamdiu Maximilianus Sfortia illius imperium teneret, qui etiam cum bis mille præsidariis in illa inclusus sese tuebatur.

*Belcar. l. 15.**n. 20.**Guicc. lib. 12.**Pet de Angl.**ep. 550. 555.**Raynald. an.**1515. n. 21.*

## §. LXX.

*Maximilianus Sfortia dedita arce in  
Gallias abstractus.*

Ergo Rex Papiam secedit; verum Mediolanensis arx nequidem uno Mense Gallorum impetus sustinuit; equidem Borbonius Connestabilis Maximiliano Sfortiæ persuadebat, quod non nisi honorifica arcis ditione rebus suis undique desperatis saluti esset, & Gonzaga Regi

G 3

omnium

Sæcul. XV. A.C. 1515. omnia[m] amicorum longe carissimus gratiæ conciliator foret: cum vero Hieronymus Moronus Mediolanensis Cancellarius præcipua in Ducatu auctoritate valeret, suæque dignitatis conservandæ tenacissimus esset, hunc quoque Gonzaga ad Gallorum studia pertrahere, omnino necessarium censebat. Igitur Morono fidem dedit, Cancellarii munus eidem perpetuo jure assertum iri, ac præterea libellorum supplicum Præfectura decorandum, adjecta mille ducentorum aureorum pensione. His conditionibus adimpletis, Connestabilis Pomperanum ad arcem misit, ac Sfortiæ deditionem acceptavit his pactis conclusam.

*Raynald. l. c.*  
*Belcar. l. 16.*  
*n. 12.*

I. Galliarum Regi Cremonensem ac Mediolanensem arces, quas solas adhuc tenebat, redderet.

II. Rex vicissim æs alienum, quo Sfortia gravaretur, necnon stipendia Helvetiis Mediolanensem arcem tuentibus numeraret, Maximiliano autem certam pecuniarum summam numerato daret, qua accepta Dux in Franciam secederet, cui Rex quotannis triginta aureorum millium pensionem penderet, ac eum Cardinalem fieri procuraret, si eidem pensionem suam pari conditione ex Beneficiis percipere præplaceret.

III. Denique omnibus illis, qui Sfortiæ partibus adhæsisissent, plena injuriarum

rum oblivio concederetur, & Morono prædia, quæ a liberali Sfortiæ manu accepisset, integra manerent, ac præter libellorum supplicum Præfecturam eidem annua pensio concederetur.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1515.

§. LXXI.

*Sfortia pingui pensione promissa in Franciam delatus.*

Deditionis legibus integra fide effectui datis, Sfortia se Helvetiorum servitute, Caesaris dilaceratione, & Hispanorum fraudibus liberatum inquiens, in Galliam contendit, sed ob fordidissimos mores omnium ludibrio expositus vivebat.

Spond. ad  
ann. 1515. n. 8

§. LXXII.

*Liviani obitus.*

Dum hæc gerebantur, Livianus hoc ultimo virtutis opere edito, rebus humanis valedixit, in quodam ignobili Brixiae oppido defunctus, dum Brixiam ac Veronam recuperare parabat. Eo morte sublato Veneti exercitus imperium Theodoro Trivulcio deferebant, datumque ei negotium, ut Belliducis cadaver Venetias transferri curaret: Cum vero milites Veneti a Germanis, qui Veronensem tractum tenebant, securitatis literas acceptare obfirmato animo recusarent, toto expeditionis tempore Liviani

G 4

corpus